

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Religio ar cum fonte primo

An nescis dyabolum expulsum a capitulo celi, Adam a capitulo paradysi, Iudam a capitulo Christi? Primum capitulum fuit in celo, secundum in paradiso, tertium in orto. In unoquoque tamen preerat Deus. In primo culpa superbie, in secundo inobedientie, in tercio auaricie.

De primo dicitur: Ponam sedem meam ad aquilonem et ero similis altissimo;

de secundo dicitur:

De ligno sciencie boni et mali ne comedas;

de tercio dicitur: Et retulit triginta argenteos et proiecit in templo.

Penae prime culpe casus, secunde labor, tercie laqueus. De prima dicitur: Vidi Sathan id est fulgur de celo cadentem; de secunda: In sudore vultus tui uesceris pane tuo;

de tercio: Laqueo se suspendit.

Hii tribus tres claustralium ordines assimilantur, hii scilicet qui sedem prelationis querunt et preesse non possunt, alii qui nec obediunt, terciis familiares magistris loculos portantes et in occulto detrahentes.

Hugo ibidem (libro de claustro anime et de duodecim abusionibus).

An nescis Satan expulsum a capitulo coeli; Adam a capitulo paradisi; Judam a capitulo Christi? Primum capitulum fuit in celo, secundum in paradiso, tertium in horto. In unoquoque tamen praerat Deus. In primo, prima culpa superbiae; in secundo, inobedientiae; in tertio avaritiae et infidelitatis.

De primo dicitur, ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo (Isa. XIV. 14).

De secundo dicitur, de ligno boni et mali ne comedas (Gen. II. 17).

De tertio dicitur, et retulit tringinta argenteos, et projectit in templo (Matth. XXVII. 3-5).

Poena culpae primae, casus; secundae, labor; tertiae, laqueus. De prima dicitur: Vidi Satanam quasi fulgur de celo cadentem (Luc. X. 18). De secunda: In sudore vultus tui vesceris pane tuo (Gen. III. 19).

De tertia: Laqueo se suspendit, et crepuit medius (Matth. XXVII. 5).

His tribus tres claustralium

assignantur ordines:

hi videlicet, qui sedem praelationis quaerunt; et illis qui nec praeesse possunt, nec obediunt, alii autem, qui familiares magistris loculos portant, et in occulto detrahentes magistros cruciant.

Hugo de Folieto, *De claustro animae libri quatuor*, 2, 21 (PL 176, col.1078B-D).